



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia S. Avgvstini de humanæ naturæ stantis, lapsæ,
puræ statu & viribus eruitur & explicatur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

16. Semina virtutum utrum insint naturaliter.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13673

quam apert sententiam & scopum, quorum nullum in Augustino vestigium reperiri potest. Nimirum, ne Philosophia Peripateticorum atque Stoicorum de virtutibus atque operibus bonis pessum iret, imprudenter à viris doctis & bonis manus Augustino injectæ sunt: ut venerabilis canities doctrinæ ipsius, quæ post septingentos aut octingentos annos per mortem ejus pura atque inviolata per manus & scripta discipulorum tradebatur, novis interpretationibus in Ecclesia

Christiana ad illud usque tempus inauditis depravata loco cederet. Nimia quippe Gentilium Philosophia sicut hæreses in impijs hominibus peperit, ita opiniones Ecclesiastica doctrinæ sepe periculosas in viris bonis dum nesciunt pretiosum à vili separare, nec animadvertunt, in quo Gentilium vanitas alienata à vita Dei & cognitione veri finis boni, ex damnationis antiquæ poenâ defecerit, & à Christiana luce superetur.

CAPVT XVI.

Semina virtutum utrum insint naturaliter?

QUID jam de seminibus virtutum ex Augustini principiis dicendum sit contra Cassianum, ceterosque Semi-Pelagiani erroris asseclas, non est difficile intelligere. Cum enim duo possint juxta doctrinam supra traditam in virtute spectari, officium quod fit, & finis propter quem fit, si officium nudè consideretur, nullum inconueniens est, virtutum quarundam semina eatenus inesse naturaliter, quatenus homo multa in agendis rebus recta officia & sentire & suscipere potest. Nam ex ista radice plurima vitæ bonæ præcepta à Gentilibus Philosophis agnita, tradita & observata sunt. Hinc ille præclaræ & utiles Aristotelis, Tullij, Senecæ, aliorumque plurimorum de virtutibus seu virtutum officijs disputationes atque lucubrationes. Hinc illa quorundam præcipuè Romanorum opera quasi bona, qui laudabiliter officio tenus præclarissimè vixerunt. Hujusmodi virtutum semina non distiterunt in infidelibus Augustinus, sed libenter agnoscit. Nam inde sunt illa testimonia, quæ superius alterius causâ difficultatis adducta sunt: Quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter iustis, colentium, quadam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum iustitia regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito rectèque laudamus. Et mox iterum: Non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea vel lineamenta extrema remanserint, ut merito dici possit, etiam in ipsa impietate vita sua facere aliqua legis, vel sapere. Cujusmodi plura ibidem tradit. Nam tale virtutum operumque bonorum semen non est aliud quàm ipsa natura rationalis, quatenus est imago Dei, in qua naturæ lex, non omnino deleta est, ut proximè citatis verbis indicat: seu quatenus Synderesi bonorum malorumque perceptrice & judicatrice prædita est. Vnde in eodem loco: Non omnimodo deletum est, quod ibi per imaginem Dei, cum crearetur, impressum est. Et paulò inferiùs: Quam imaginem non penitus impietas aboleverat. Nam remanserat utique, quod anima hominis nisi rationalis esse non potest. Et rursum: Nam & ipsi homines erunt, & vsilla natura inerat eis, quæ legitimam

aliquid anima rationalis & sentit & facit. In quibus testimonijs facta illa laudabilia, & aliqua legis, seu legitima quæ homo naturaliter sapit, non sunt aliud nisi illa moralium virtutum officia, de quibus Philosophi tam multa præclarè disputarunt & præceperunt; quorum etiam Romani tali quæ observatione claruerunt. Nec Augustinus tantum, sed & alij nonnulli sancti Patres naturalia virtutum semina in humana natura posuerunt. S. Iohannes Damascenus naturales virtutes vocat, & naturaliter & æquè omnibus inesse. Sanctus Basiliius omnium mandatorum, quæ a Deo accepimus, virtutes in nobis ipsis insitas non gerere tradit. Hieronymus, neminem non habere semina in se sapientia, & iustitia, reliquarumque virtutum. Sed, ut dixi, omnes isti officia illa bona respexerunt, parentes honorandos, indigis opitulandum, temperanter vivendum, & similia, cuiusmodi faciendâ esse docet lex scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem deles impietas. Quæ quidem officia, nisi propter illum finem fiant, propter quem faciendâ esse vera sapientia præcipit, quamvis operibus quæ fiunt bona videantur, ipso non recto fine peccata sunt. Officium enim quasi corpus virtutis est, quod sine veluti formâ animari debet: quo deficiente manet officium quasi materia sine forma sua, quasi cadaver animâ destitutum. Quapropter si finem consideremus, qui in virtute suis momentis ponderandâ præcipuus est, nullum semen cuiuscunque virtutis in humana natura reliquum reperiri potest. Finis enim ille non est aliud, ut fuscè declaravimus, nisi Deus intentione fidei bonæ diligendus. Illius autem & credendi & diligendi omnis omnino scintilla per peccatum, omnis fomes extinctus est: juxta illud absolutissimum Augustini: Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus. Non enim tantum ad perfectionem virtutis ita consideratè comparandâ infirmata natura est, sed etiam ad qualemcumque & quantamcumque exiguam ejus inchoationem. Eadem enim omnino ratio est, in isto sensu, virtutis, & seminis ejus: hoc est, perfectionis & quantalæcunque inchoationis ejus. Amor enim illius finis, cuius unius in corpore complexu

De Spirit
& list. a. 17.

Cap. 28.

Ibid.

Ibid.

amplum animam virtutibus fecundatur, non solum perfici, sed nec inchoari ab homine humanis viribus potest. Nam etiam prima boni cupiditas, qua nullum exilius virtutum semen in voluntate dari potest, est nobis à Deo. Quid est enim boni cupiditas, nisi charitas?

Lb. 2. ad Rom. c. 9.

Inquit Augustinus: de qua Iohannes apostolus sine ambiguitate loquitur dicens: Charitas ex Deo est. An forte fructus ejus & perfectio ex Deo, & semen seu initium ejus ex nobis? Respondet Augustinus: Nec initium eius ex nobis, & perfectio eius ex Deo: sed si charitas ex Deo, tota nobis ex Deo est. Ex cujus semine ac radice nisi virtutis cujuscumque fructus germinaverit, non poterit esse fructus bonus. Non enim fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit. Vnde cum Iulianus virtutem à nobis inchoari, & perfectionem ejus à Deo tribui statuisset, quasi semina virtutum in anima rationali condita delitesceret, quæ gratiæ divinæ cultu in fructum perfectum surgent, respon-

Ed. 2. Spir. c. 14.

det ei Augustinus: Cum ergo divinitus adiuveretur homo, non tantum ad capeendam perfectionem adiuveretur, quod ipse posuisset, utique volens intelligi, eum per se incipere sine gratiâ, quod perficit gratiâ: sed potius quod apostolus loquitur, ut qui in vobis opus bonum capit, perficiat usque ad finem. In quo enim vis hominem, sicut loqueris, ad aliquid laudabile generosi cordis stimulis incitari, in hoc eum non vis in Domino, sed in libero arbitrio gloriari.

Ed. 4. cent. lib. 3.

Hanc sancti Augustini doctrinam S. Prosper discipulus ejus plenius tradidit, qui de virtutum seminibus nominatim cum Semi-Pelagianis dimicare coactus fuit. Cum enim Cassianus in Collatione decima tertia dubitari non posse dixisset, inesse omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio creatoris inserta, quæ nisi opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis pervenire non possent, multis & solidis argumentis errorem istum, ab ejus quam tradidimus Augustinianæ doctrinæ tramite non recedendo, confixit. Docet enim in primis omnia virtutum semina seu principia primæ prævaricationis merito periisse. Virtutum semina que beneficio creatoris inserta sunt, prævaricatione prima parentis evulsa sunt, nec haberi queunt, nisi qui restituerit qui dederat. Reformabilis enim est natura humana formatori suo, & eorum bonorum quæ habuit capax est. Et libro tertio de vita contemplativa: Sine dono Dei nec virtutes possunt apparere vel haberi, nec earum similitudines, quæ sunt vitia virtutes imitantia, devitari. Nullum autem virtutum semen exilius est, quam virtutis appetitus. Docet errorem istum inde fluxisse, quod cernerent homines, multa præclara bonorum operum officia in infidelibus quæ speciem virtutis habere viderentur: Puto autem istum veri similitudine decipi, & in specie falsarum errare virtutum, dum ea bona, quæ non possunt nisi ex Dei munere haberi, etiam in impiorum animis existimat reperiri, ideo scilicet, quia multi eorum sunt iustitia, temperantia, continentia, & benevolentia sectatores. Docet hujusmodi virtutum semina & opera inde profluentia virtutum

carere veritate, esseque vitiosa: Sed quia ipsi studij non Deo, sed diabolo serviunt, licet habeant de temporali laude mercedem, ad illam tamen beatarum virtutum non pertinent veritatem. Et ita manifestissime patet, in impiorum animis nullam habitare virtutem, sed omnia opera eorum immunda esse atque polluta, habentium sapientiam non spiritalem sed animaleam; non celestem, sed terrenam; non Christianam, sed diabolicam, & hujusmodi, quæ latius antè diximus. Docet, non alia ex causa ista præclara officia à virtutum veritate deficere, nisi quia mens infidelium ab illius finis amore, à quo omnis virtus veritate & essentiam suam trahit, frigidando deflexit: Absit

ibid.

ab animis piorum fallacis doctrinæ insidiosa deceptio. Virtutes cum vitij habitare non possunt. Quæ enim participatio, inquit apostolus, iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras? Virtus namque principaliter Deus est; cui non aliud est habere virtutem, quam esse virtutem. Huius cum participes sumus, habitas Christus in nobis, quæ est Dei virtus, & sapientiâ. Habuat fides, spes, charitas. Dei enim participes non aliter efficiuntur nisi dilectione. Cum vero ab hoc bono recedimus, omnia nobis è contrario oriuntur ex nobis. Discedente enim pulchritudine, quid succedat nisi deformitas? Abeunte sapientiâ, quid residueat nisi insipientia? Non regnante iustitiâ, quid dominetur nisi iniquitas? Et inferius rursum omnino revocans ad charitatem, qua sola omnium fons & finis officiorum bonorum diligitur: Et tanta

ibid. c. 27.

est secundum usum liberi arbitrij vel incolumitas vel facultas, ut charitatem, quæ in omnium aere virtutum est, non ex Dei munere, sed ex sola habeat voluntate. Eo quippe redit, quod virtutum semina dicuntur inserta naturaliter, ut illius charitatis initium, sine quo nulla virtus vera esse vel intelligenter cogitari potest, ex nobis proficisci censeatur. Quo respiciens, statim subiicit: Et ne possimus oportari, ideo dilectionem dictam ex Deo, quia in natura hominis hic satus esset affectus, paulo post ait: Non quod nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos.

Cap. 30.

Porro quemadmodum jam antè de virtutibus veris infidelium, aliisque nonnullis dogmatibus diversis locis admonuimus, ita etiam de isto dogmate, quo virtutum verarum semina dicuntur inserta homini naturaliter, admonemus, à Gentili manasse Philosophia. Philosophi namque, cum in omnium hominum (quos non penitus in vitiorum abyssum perverta vivendi consuetudo meruisset) naturâ vigere cernerent iudiciû quoddam de multorum actuum honestate, deque fœditate remorsum conscientiæ, quosdam etiam ad quædam virtutum civilium officia esse propensos, neque quicquam aliud ad virtutem veram opus esse arbitantes, quam ut ista, quibus nihil aliud ad rectitudinem humanis affectibus inferendam intelligebant, per se & propter se ipsa expeterentur; semina virtutum omnium humanæ menti tribuerunt; quæ solo cultu, & exercitatione in maturam virtutem crescerent, & nitescerent. Audi Tullium Peripateticæ Stoicæque

Prop. 16.

an. Colar. 49. 27.

Lb. 2. de vita contempl. c. 1.

Cent. Coll. r. 23.

prævaricationis merito periisse. Virtutum semina que beneficio creatoris inserta sunt, prævaricatione prima parentis evulsa sunt, nec haberi queunt, nisi qui restituerit qui dederat. Reformabilis enim est natura humana formatori suo, & eorum bonorum quæ habuit capax est. Et libro tertio de vita contemplativa: Sine dono Dei nec virtutes possunt apparere vel haberi, nec earum similitudines, quæ sunt vitia virtutes imitantia, devitari. Nullum autem virtutum semen exilius est, quam virtutis appetitus. Docet errorem istum inde fluxisse, quod cernerent homines, multa præclara bonorum operum officia in infidelibus quæ speciem virtutis habere viderentur: Puto autem istum veri similitudine decipi, & in specie falsarum errare virtutum, dum ea bona, quæ non possunt nisi ex Dei munere haberi, etiam in impiorum animis existimat reperiri, ideo scilicet, quia multi eorum sunt iustitia, temperantia, continentia, & benevolentia sectatores. Docet hujusmodi virtutum semina & opera inde profluentia virtutum

carere veritate, esseque vitiosa: Sed quia ipsi studij non Deo, sed diabolo serviunt, licet habeant de temporali laude mercedem, ad illam tamen beatarum virtutum non pertinent veritatem. Et ita manifestissime patet, in impiorum animis nullam habitare virtutem, sed omnia opera eorum immunda esse atque polluta, habentium sapientiam non spiritalem sed animaleam; non celestem, sed terrenam; non Christianam, sed diabolicam, & hujusmodi, quæ latius antè diximus. Docet, non alia ex causa ista præclara officia à virtutum veritate deficere, nisi quia mens infidelium ab illius finis amore, à quo omnis virtus veritate & essentiam suam trahit, frigidando deflexit: Absit ab animis piorum fallacis doctrinæ insidiosa deceptio. Virtutes cum vitij habitare non possunt. Quæ enim participatio, inquit apostolus, iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras? Virtus namque principaliter Deus est; cui non aliud est habere virtutem, quam esse virtutem. Huius cum participes sumus, habitas Christus in nobis, quæ est Dei virtus, & sapientiâ. Habuat fides, spes, charitas. Dei enim participes non aliter efficiuntur nisi dilectione. Cum vero ab hoc bono recedimus, omnia nobis è contrario oriuntur ex nobis. Discedente enim pulchritudine, quid succedat nisi deformitas? Abeunte sapientiâ, quid residueat nisi insipientia? Non regnante iustitiâ, quid dominetur nisi iniquitas? Et inferius rursum omnino revocans ad charitatem, qua sola omnium fons & finis officiorum bonorum diligitur: Et tanta est secundum usum liberi arbitrij vel incolumitas vel facultas, ut charitatem, quæ in omnium aere virtutum est, non ex Dei munere, sed ex sola habeat voluntate. Eo quippe redit, quod virtutum semina dicuntur inserta naturaliter, ut illius charitatis initium, sine quo nulla virtus vera esse vel intelligenter cogitari potest, ex nobis proficisci censeatur. Quo respiciens, statim subiicit: Et ne possimus oportari, ideo dilectionem dictam ex Deo, quia in natura hominis hic satus esset affectus, paulo post ait: Non quod nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos.

Lib. 5. de
fu.

que virtutis tanquam purioris elementa ipsi
naturæ tribuentem: Natura igitur corpus quidem
hominum sic & genuit & formavit, ut alia in primo
oritur perficeret, alia progrediente aetate fingeret &c.
Quod autem in homine præstantissimum atque opti-
mum est, id deseruit: etsi dedit talem mentem, qua
omnem virtutem iam accipere posset, ingenitæque sine
doctrina notitias parvas verum maximarum; & quasi
instituit docere, & induxit in ea que merant tan-
quam elementa virtutis. Sed virtutem ipsam inchoavit,
nihil amplius. Itaque nostrum est (quod nostrum di-
co artis est) ad ea principia que accepimus consequen-
tia exquirere, quo ad sit id quod volumus effectum.
Satis aptè profectò Philosophiæ instituto,
quæ nihil ad perfectam virtutem amplius ex-
quirebat, nisi ut propter se officia amicitia,
iustitiæ, fortitudinis appeterentur. Cujusmo-
di consideratione & Augustinus aliquando
dixit: Voluit Deus insensare enim anima initia
intellectus, initia sapientie. Et vim animæ tri-
buit, quæ legitimam aliquid & sentit & facit. Sed
istiusmodi non tam virtutum semina, quam
roinæ sunt, ex illa primæva hominis integri-
tate superstites. Quibus primùm Pelagiani
atque Semi-Pelagiani hæresim suam impo-
suerunt: easque postea Scholastici Doctores,
non satis attenti quid in isto Gentilium, ve-
rumque virtutis finem ignorantium placito
Christiana doctrina per Augustini & Pro-
perii calamum explicata reprobasset, in Chri-
stianorum etiam scholas induxerunt, non
minimo Ecclesiasticæ doctrinæ, prout eam
Augustinus in omnibus suis lucubrationibus

Serm. 38. de
verb. Dom.
c. 8.

constanter docuit præjudicio. Nam illi hæ-
retici seminibus istis Philosophicis veras vir-
tutes, vera opera bona, solâ voluntatis hu-
manæ potestate proficisci posse, ideoque
arbitrium hominis sine ulla Christi gratia
esse potens ad benè operandum, & liberum
tradiderunt. Quod quia constantissimè do-
ctrinæ Catholicæ apertissimè Scholastici re-
pugnare cernebant, duplicem hominem in
uno homine condiderunt, duplicem fidem,
duplicem charitatem, duplices virtutes, du-
plicia opera, una naturalia, altera superna-
turalia, de quibus in universa doctrina Au-
gustini vel ullo antiquo gratiæ defensore,
ullo Ecclesiæ concilio vestigium nullum
inveniri potest. Sed sicut uno absurdo dato,
cetera accidunt, ita semel admittâ in veris
virtutibus definiendis, humanæ Philosophiæ
auctoritate, totam doctrinam Augustini de
virtutibus diametraliter ei repugnantem co-
acti sunt perturbare & intolerandis modis ab
eius demerere, ne gravissimâ ipsius
in hisce quæstionibus mala, peccata, ignibus pu-
nienda diceret; & consequenter non illam
ipsam, quam ipsi ad benè agendum natura-
liter libertatem appellant, Augustinus capti-
vitatem sub terrena cupiditate tanquam dia-
boli fructu definoeret.

C A P V T X V I I .

Nugæ, delirium, insania, error impietas contraria Christianorum
sensui, scripturis, & fidei, quòd infidelium sit ulla vera
virtus, vel opera sine peccato juxta Augu-
stinum, & Concilium Arausicanum.

SED quia non satis est Augustini do-
ctrinam in medium protulisse, nisi et-
iam constet, quanta certitudine veritatis
eam asseruerit, operæ pretium fuerit ea
de re pauca dicere; ne alioquin Augustinus
eam velut subtilitatis humanæ cogitationem,
& propterea pro more scholæ, sine Christianæ
doctrinæ præjudicio, utrimque disputabilem
tradidisse videatur. Quapropter opera infide-
lium non tantùm non esse bona, & ad vitam
æternam inutilia, sicut Pelagiani fatebantur,
sed mala atque peccata; & consequenter eor-
um virtutes non fuisse veras, sed vitia no-
mine & specie virtutum palliata, tantâ docuit
Augustinus asseverantiâ atque securitate, ut
majore non posset Catholicam fidem. Asserit
enim, adversarium istius doctrinæ suæ aut
jocari in his disputationibus, aut delirare, qui
sterilium fructus arborum laudet, qui aut nulli sunt,
aut si mali sunt, laudandi non sunt: aut si fructus boni
sunt, arboris bone sunt, & debent Deo placere.
Asserit, enim falli plus quam dici potest in illa opi-

Lib. 4. cont.
2ul. c. 3.

161d.

nione qua dixerat, omnes virtutes affectus esse, per
quos aut fructuosè aut sterilitè, id est, ad vitam
æternam inutiliter boni sumus. Fieri enim, inquit,
non potest, ut sterilitè boni sumus, sed qui boni non
sunt, possunt esse alij minus, alij magis mali. Dicit
multa insana ex contraria opinione conse-
qui, quæ statuit aliquid sterilitè, hoc est, ad
vitam æternam inutiliter esse bonum: vige-
iam dicere, quàm multa te sequantur insana talia sen-
tientem, talia dicentem, talia scribentem, in talibus
me, quòd similiter non desipiam, velut censorie re-
prehendentem. Et rursum non nihil superbiis
non paulò acerbius: Prorsus nec vera est castitas
animi fornicantis, id est, animi qui recessit à
Deo, & vera insania est hominis dignitas hoc dederat,
& ridens. Dicit, hoc non solum veram in-
saniam esse, sed etiam scripturæ repugnare:
Itane aut contra scripturas sanctas infidelis animam
fornicari negas, aut esse in animo fornicante veram
castitatem dicis, & rides, & sanus es? Unde, quo-
modo, quâ ratione istud fieri potest? Prorsus nec illa
est castitas vera, nec sanitas vestra. Dicit, errorem
esse,